

pace Agnellus Archiepiscopus, qui sedit annos XIII. mens. I. dies VIII. qui vixit annos LXXXIII., depositus est sub die Kal. Aug. Ind. III.

II. Singula suis annis consignare ex Agnelli Episcopi tumulo facillimum esset, nisi turbaret renor ejusdem à Rubeo exhibitus, qui est hujusmodi: Hic requiescit in pace Agnellus Episcopus, qui sedit Annis XIII., mens. I., dies VIII. Vixit Annis LXXXIV., depositus est sub die Kal. Augusti Indictione quartadecima. Lectio Codicis, quo actor, sustineri nequit, & vitiosa est à recentiori Exscriptore, qui minimè contentus Archiepiscopum pro Episcopo scripsisse Agnellum, Indictionem falsam III. pro vera XIV. videlicet, obtrusit. Etenim non posse Agnelli Episcopi Vitam produci, usque ad annum DLXX. quo Indictio III. mense Augusto currebat constat ex dicendis infra in Dissertatione chronologica de Episcoporum Agnello subsecutorum. Admittenda itaque est Indictio XIV. Rubeo laudata; & in eo tantum dubii nonnihil esse mihi fateor, quod fortassis pro XIV., sequens XV. fuerit notata, spectato diuturniori duorum annorum interpositio, quod servata XIV. Indictione admitti debet inter Agnellum, & Petrum. Fortassis etiam Agnelli annis unum X. ab Exscriptore Rubeo lecto, additum est, cum etas LXXXI. annorum, qua Episcopus est renunciatus, nimis gravis videri possit. His non obstantibus teneamus Indictionem XIV., quæ aliis ex capitibus commendatur, ut ex dicendis patebit. Obierit itaque Agnellus Episcopus Kal. Augusti anni DLVI. quo currebat Indictio XIV. retrocedendo per annos XIII. mense I., diebus VIII., invenitur annus, quo sedere cepit DLIII. die videlicet XXII. Junii Dominica, currente Cyclo Solis II. Lunæ III. Litera Dominicali B. Eodem autem anno obierit Maximianus, ex Codice Monialium S. Andreae Rubeo laudato. VIII. Kal. Martii. Codicis auctoritas diem certum reddit, at de anno silet. Crediderim obiisse anno precedenti DLII. Cyclo Solis I. Lunæ II. Lit. Dom. G. F. duo ob argumenta. Primum est, quod Vigilio Pontifice per ea tempora Constantinopoli obtrium Capitulum questionem variè vexato, & Imperatore invito, diuturniori tempore opus fuit, quo novus Episcopus ordinaretur. Alterum est, quod cum videam IX. Kal. Martii in Martyrologio Maximiani obitum signatum, ex anni Bisextilis Februarii evenisse credo, ut dies una excreseter apud Martyrologiorum Scriptores, & pro VIII. Kal. IX. Martii signatus sit dies Maximiani emortualis. Porro libentissimè Rubeo assentirer ejusdem obitum in annum DLVI. differendo, spectatis ingentibus Ædibus, caterisque magnificè à Maximiano peractis, itineribusque ejusdem Constantinopolim habitis, ac denique spectata etiam Rubei ipsius auctoritate; at tumuli Agnelliani characteres efficiunt, ut id sustineri nequeat, quare Rubeus ipse inconsequenter loquitur, & impossibilia narrat; qui enim mortuum Agnellum tradit anno DLVI. quo Indictio XIV. currebat, & admittit sedisse eum annos XIII. mens. I. dies VIII. non debuerat eundem ordinatum asserere anno DLVI., etenim spatium temporis sedis fuisset tantum annorum decem, & mens. I. cum diebus VIII. Calculis itaque ritè adhibitis Agnelli ordinatio ad annum LV. est retrahenda.

III. Indictio X. quinquies P. C. Basilii Octobri mense anni DLVI. decurrebat, cum us Noster tradit Prid. Idus Maximianus ordinatus est à Vigilio apud Patras Achaje Urbem. Omnia inter se probe respondent, etenim eo anno Cyclo Solis XXIII. Litera Dominicali G. ipsa die ordinationis ejus

quartadecima Octobris, occurrit, quæ mirum in modum rem firmat. Vixit itaque in Pontificatu Maximianus annis quinque, mensibus sex, diebus octo. Obierat eodem anno Victor XV. Kal. Martii. Is autem cum dicitur sedisse annis VI. mensibus XI. diebus XI. indicatur consecratus anno DXXXIX. die IV. Martii. At dies IV. Martii eo anno erat Feria VI. inepta videlicet Episcoporum Ordinationibus. Consequitur, & vel diem deesse, & pro II. scribendum XII., vel & diem deesse, & annum abundare, scribendumque sedisse illum annis V. mens. XI. diebus XII., ac ordinatum die IV. Martii anni DXL. Bisextili, currente Cyclo Solis XVII. Lit. Dom. A. G., ipsa videlicet die Dominica. De Ursicini, qui Victorem præcessit ætate illud tantum habemus, sedisse videlicet annis III. mensibus VI. diebus IX. & sedere cepisse antequam Athalaricus obiret, quod accidit anno DXXXIV. VI. Nonas Octobris. Ordinatus, itaque fuerit paucis diebus ante Athalarici mortem postremis Septembris diebus; desit in vivis esse anno DXXXVIII. circa Aprilem. Longius, itaque interpontificium, qui renuet admittere inter Ursicini mortem, & Victoris Consecrationem, ordinatum hunc asserat anno DXXXIX. die quinta Martii ad vesperam videlicet Sabbati. Longum sanè plurium mensium saltem spatium intercesse nemo diffitebitur, qui animadvertat Apostolica Sedis vices, quas passa est eodem anno DXXXVIII. quo & Ursicinus mortuus est, & Silverius Summus Pontifex deturbatus, intruso per Belisarium Vigilio. Obierit itaque anno prædicto DXXXIV. Ecclesiam, cum sederit ex Nostro annis X. mens. V. diebus V., consequitur circa initia anni DXXXIV. eundem ordinatum fuisse, quare anno subsecuto DXXXV. cum Johanne Pontifice Romano, aliisque Episcopis, potuit Constantinopolim pergere, quod Agnellus ipse tradit.

IV. Temporibus in hunc modum dispositis, ut quod Nostro Agnello Duce assertum est, firmius stabiliat, necessario ad ea sermo vertendus est, quæ ad Acta Pontificum Romanorum spectant, ac in primis Silverii, ac Vigili, quibuscum ordinationes Ravennatum Episcoporum, ac in primis Maximiani, necessario nexu connectuntur. Ea verò multa caligine offusa in hanc diem fatebitur quisquis rem paulò accuratius consideravit. Anastasius, qui in hujusmodi negotio magno subsidio esse solet, turbidè, impliciteque rem tradit. Baronius ex eo, & ex Liberato, Victore Tunonensi, epistolisque Silverii, Vigiliique, Actisque Conciliorum, Historiam distribuere chronologicè curavit; Eruditorum tamen opinione visum est, Baronium, quæ majoris momenti erant certis sibi annis consignasse adhibitis solis documentis suspectæ fidei; Anastasium præterea rejectum, quod sistematè semel præconcepto non suffragaretur, ex Liberato, & Procopii silentio, qui, quod Anastasio narratum, silent, cum extra argumentis eorumdem orbitam existat. Porro ea ratione Silverii mortem in annum DXL. transfert, quod fidem adhibeat epistole Silverio adscriptæ ad Vigilium, in qua Pontifex scribens inducit hæc; meque repulso, qui favente Domino tribus jam jugiter emensis temporibus ei (Apostolica scilicet Sedes) præideo tempora mea niteris invadere. Epistola autem data dicitur VIII. Kal. Julii. Hinc cum Silverius Anastasio tradatur obiisse, & depositus dicatur XII. Kal. Junii, concludit Baronius nonnisi anno DXL. decessisse, cum quartum Pontificatus annum inchoasset. Verum cum epistola illa communis Eruditorum calculo supposititia censeatur, nil adjumenti rei decernendæ afferre potest. Nec certè